



**L. B**

**S**

**M. SEGIM. FRIDER. DRESIGIVS**  
**SCHOL. THOM. CONR**

**P**alaephatum, quem ab omnibus legendum censuit Ioh. Henr. Boeclerus, iudex hac in causa sapientissimus, typis exscribendum iterum curauit: quem ne nulla praefatione prosequeret in lucem denuo prodeunte, non more magis, quam ratione, sum adductus. Codicibus, quibus nostrae aetatis se iactant ingenia, manu exaratis carui, atque eo lumbentius carui, quo plus negotii in eruenda Auctoris sententia vera facessere iam videtur lectionum silua a Cornelio Tollio, Martino Brunero, et Thoma Gale, ex diuersis manu scriptis voluminibus collecta. Itaque satis habui, laudatissimorum virorum editiones publico datas, qua par est, accuratione inter se conferre: nec parum me eorundem diligentia profecisse, ipsa libelli lectio docebit. Neque enim solum in omnibus fere capitibus scripturam codicuum ab illis exhibitam vulgatae adhuc lectioni praetuli, verum etiam ex eodem fonte coniecturas, suo quasque loco in annotatiunculis subiectis diligentissime indicatas, plerumque hausi. Atque id quidem non, credo, mirabuntur illi, qui cogitauerint, libellum hunc elegantissimum in manus tradi adolescentibus ad Graecam linguam et veterum fabularum scientiam informandis. Quibus prout optima ad imitandum, et ad percipiendum non difficillima, semper duxi proponenda, ita malui manu scriptorum librorum lectionem, si quando menti Auctoris esset accommodator, ingenio nonnunquam adiutam recipere, quam vulgarem sistere multis spinis ob-  
sistam